



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorum

VD16 B 5530

Quinta Conclusio. Licitum est vti sortibus in electionibus ad temporales & seculares dignitates, quæ ad terrenam dispositionem ordinantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

natus sorte quæritur, quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus S. in Ecclesiam effusa. Septem autem Diaconi postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati.

Quarta Conclusio. Quando contentio esset de electione aliquorum, nec esset via humana dirimendi litem, utpote quia esset paritas utrique in omnibus, scilicet votis, doctrina & meritis, & ambo moraliter essent equè digni: tunc litem sorte dirimere non esset illicitum, si debite conditiones seruentur, ut exitus rei à Deo expetatur prævijs orationibus eo modo quo D. Matthias electus est iuxta d. c. Non exemplo.

GLOSSA & Turrecre. in cap. Quod autem 26. q. 2. Aurea Armilla in verbo Sors, & alij alibi.

Quinta Conclusio. Licitum est ut in sortibus in electionibus ad temporales & seculares dignitates, quæ ad terrenam dispositionem ordinantur.

HANC Conclusionem communiter DD. citati tenent. Tamen in tali electione obseruandum, ut prius electis quibusdam idoneis, deinde fors mittatur: Aliàs si imprudenter fieret, & cum periculo boni communis, & iustitiæ,

iustitiæ, vtpote quia fors caderet in aliquem ineptum, qui damno esset Reipublicæ: culpa non careret. Olim apud Romanos, iudices ex equitum ordine per sortes eligebantur, præ-tore urnam mouente, & si qui ex illis reiicie-bantur, iterum subfortiebantur alij in eorum locum, vt videre est apud Ciceronem in orat. in Pisonem, & Panormit. in cap. fin. de Sorti-leg. id usurpari attestatur, quod seculares e-ligant officiales in multis locis per ballotas, & breuia.

*Sexta Conclusio. Fors diuinato-
ria, qua innititur societati Demonum ex-
plicitè vel implicitè, est damnata & re-
probata.*

EZECHEL. 21. Rex Babylonis stetit in bi-
uio, in capite duarum viarum diuinatio-
nem quærens, commiscens sagittas interroga-
uit idola, exta consuluit: & in 26. q. 5. can. Sor-
tes, dicitur: Sortes, quibus cuncta vos vestris
discriminatis prouincijs, quas patres damna-
uerunt, nihil aliud quàm diuinationes & ma-
leficia decernimus. Quamobrem volumus
omnino illas damnari, & vltra inter Christia-
nos nolumus nominari, & ne exerceantur, a-
nathematis interdicto prohibemus. De hac
Conclusione non dubitant nec Theologi, nec
Canonistæ. S. Thom. in d. art. ad 3. iudicium
ferri